

militer minutæ moræ diuide per superationem Lunæ in una hora, & iterum prouenient horæ, & residuum multiplicat per 60, & diuide ut prius, & habebis tempus correspondens minutis moræ. Nota tempus ex minutis casus & moræ extractum, uel tantum ex minutis casus, si non habet moram, est tempus seu quantitas mediæ Ecclipsis, & id dupla, tunc exibit quantitas tempotis totius Ecclipsis. Nota minuta casus uocantur illud, quod transit Luna à principio Ecclipsis, donec totaliter obscuratur & ueniat in umbram. Sed minuta moræ dicuntur illud, quod Luna transit, interim quod manet in umbra. Vnde si tempus correspondens minutis moræ subtraxeris à tempore ueræ oppositionis diebus æquatis, habebis principium moræ, quod si addideris, habebis finem moræ. Sed si tempus correspondens minutis moræ cum tempore correspondente minutis casus, subtraxeris à tempore ueræ oppositionis diebus æquatis, habebis initium totius ecclipsis, si autem addideris, habebis finem totius ecclipsis. Si autem tale tempus duplicaueris, habebis rationem totius ecclipsis, &c. In proposito Lunæ defectu, minuta casus 47 diuido per superationem Lunæ horariam, quæ est 34 minutorum, 11 secundorum. Cum argumento enim Solis reperio Solis horarum 2 minutorum, 30 secundorum. Cum argumento autem Lunæ uero inuenio Lunæ horarum 36 minutorum, 41 secund. & minori à maiore sublato, restat superatio Lunæ 34 minutorum, 11 secundorum. Facta itaq; partitione prouenit una hora, & restant 13 ferè minuta, quæ duco in 60, & productum per superationem Lunæ seco, proueniunt 21 minuta tempus casus. Similiter minuta moræ mediæ, scilicet 18 per eandem superationem diuido, ijs antea per 60 multiplicatis, cum alias diuisio fieri nequeat, proueniunt 31 minuta moræ mediæ in tenebris. Moram itaq; medium à tempore ueræ oppositionis, quod est medium ecclipsis Lunæ, subtraho, remanetq; initium totalis obscurationis hora 8, minutis 9 à meridie eiusdem dici, hanc quoq; addo temporis oppositionis ueræ, & habeo finem ecclipsis Lunæ totalis hora 9, minutis 11. Iam tempus casus iungo moræ mediæ, proueniunt hora una, minuta 52, quæ subtraho ab oppositione uera, & restat initium ecclipsis Lunæ hora 6, minutis 48. Finis autem eiusdem ubi id tempus adiungo temporis oppositionis ueræ, hora 10, minutis 36. Et cum id duplico, proueniunt horæ 3, minuta 44, integra duratio ecclipsis, si aut moram medium duplico, habeo totalis obscurationis durationem, seu in tenebris integrum moram.